

News

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

VICIT VERITAS ET VICET LATIUS


Fortuito fit ut, eodem tempore quo de Galileo Galileo in Melissa tractamus, Papa Iohannes Paulus II eius condemnationem tollat quae ante 359 annos facta erat propter librum anno 1632 editum c.t. "Dialogo sopra i due massimi sistemi del mondo". Cum hoc ante sesquimensem coram Academiae Pontificiae sodalibus officialiter nuntiaret, dixit hac in causa neminem fuisse sontem, neque Galileum neque Sancti Officii iudices, atque totam rem accidisse propterea quod inter se aliquid convenire non potuerunt.

Sed re vera haec profunda scissio inter mentem dogmaticam et scientificam tempore Galilei orta

adhuc manet immutata. Hoc tantum mutatum est, quod scientifici potentiores nunc facti sunt quam dogmatici.

In Galilei "Dialogi" editione Latina, editor Matthias Bernegger scripsit haec: "Vicet veritas et vicet latius". His verbis praenuntiabat aetatem scientificam nostram, ubi veritas naturalibus experimentis quaeritur. Verum quidem est scientiam post tria saecula hominum opes multum auxisse sed etiam confitendum eam nihil detexisse de Ultima Veritate!

Gaius LICOPPE



"Convexa lens violentissime accendit ignem, et citius vehementiusque quam concavum speculum. Soli enim opposita, in oppositam partem, ubi coeunt radii, obiecta ignem accendit et plumbum liquefacit" (Ioh. Baptistae Porta Magia Naturalis, Amstelodami 1664). Cfr pp. 2-4.

DE ACADEMIA LYNCEORUM

SCRIPSIT GAIVS LICOPPE



Academia exeunte anno 1603 condita, quattuor fundatores suum cuique munus disponunt: multi libri sunt legendi ubi tractatur de philosophia, botanica, mathematica, astronomia et historia. Praeterea Iohanni Heckio mandatur ut epistulas circummittat quibus Europae notiores doctos certiores faciat de Academiae proposito eorumque cooperationem petat. Quibus litteris ei nuntiandum est Lynceos Paracelsi philosophiae chemicae deditos esse atque sagacissimos arcanae scientiae indagatores fore.

Res Lynceorum geruntur secreto et occulte: Nolunt «ignaros nebulones» (sunt eorum verba) sibi arrogare laboriosos indagationum fructus, quos vocant «nostra arcana». Inter se ad communicandum utuntur «imperspicuis notis, quas vulgus ziferas vocat» (ut legitur apud Iohannem Baptistam Portam Neapolitanum). Alphabetum «ziferatum» componunt ex suis astrologicis signis. Ex his omnibus patet Lynceos in Academiae initiis fascinatos esse momentis magicis, hermeticis alchemicisque, quae Renascentiae culturam pervaserant.

Haec tamen actuositas tantum paucos menses stetit. Pater enim Friderici Caesii angitur de esoterica specie Academiae coetuum atque de

auctoritate quam delirans Heckius in filium exercet. Quare iam ineunte anno 1604 Lynceorum inceptis adversari coepit. Quo celerius dissolvatur Academia, Heckium Sancto Officio Curiae Romanae indicat. Iuvenes minis ita territantur ut mox cogantur discedere: sodales Stellutius et De Filiis suum quisque oppidum natale petunt. Heckius Roma fugit, paulisper manet in Tuscia, Mediolani et Augustae Taurinorum, denique trans Alpes ex Italia evadit.

Fridericus Caesius, dum patris iussis se obtemperare simulat, ad amicum Stellutium scribit: «Sopitus videor, sed anima etiam plus quam antea vigilat.» Se gerit pro neostoico secundum Iusti Lipsii formulam, quae constat ex «consilio, patientia, fidentia». Imprimis consulit ut consuetudinem cum sodalibus servet; commercio epistulari informationes inter se commutant.

Verno anni 1604 Caesius iter magni momenti facit Neapolim, ubi visitat pharmacopolam c.n. Ferrante Imperato, magnae rerum naturalium collectionis possessorem, et praesertim Iohannem Baptistam Portam (v. della Porta) senescentem et tunc famosum. Ex eius scripto «De furtivis litterarum notis, vulgo de Ziferis» (prima editio anno 1563, novae editiones a. 1602 Neapoli et 1603 Strateburgi), Fridericus consilium cepisse videtur, huius generis notas in Academia adhibendi. Ipsum Academiae signum, lynx scilicet, videtur depromptum esse de frontispicio famosissimi Portae operis, c.t. «Magia naturalis», anno 1589 editi (cfr subiunctam imaginem). Fridericus a vetere docto



I. B. Portae Magia Naturalis, Neapoli 1589. In parte superiore (vix) conspicitur lynx nostra.



Neapolitano fascinatur, sed eum etiam ita feliciter movet ut postea primus novorum Academiae sodalium futurus sit.

Mense Aprili anno 1605 Fridericus valet Academiae sessionem instituere. Hoc anno operam dare incipit ad Academiae statuta excogitanda, quae conscribit sub titulo «Lynceographi».

Eodem tempore Heckius per Europam itineratur ad consuetudinem iungendam cum praecipuis doctis, quos moneat de Lynceorum Academia modo condita. Bonos libros arcanaque de rebus naturalibus colligit. Mense Iunio anno 1605 Pragā litteras ad Fridericum mittit, quibus narrat se familiariter duobus «mathematicis Caesareis» uti, qui sunt Franciscus TENGNAGEL, gener famosi astronomi Tychonis BRAHE, et Iohannes KEPLER; addit Imperatorem Rudolfum II Academiae progressibus favere.

Heckium in itinere comitatur iuvenis quidam artis pictoriae peritus, qui omnes res visu dignas delineat. Heckius suas notas ita imaginibus illustratas colligit in manuscriptum, c.t. «Fructus itineris ad Septentriones», quod servatur Monte Pessulano (v. Montpellier) in bibliotheca scholae medicinae. Hunc agendi modum non solum comprobatur Academiae princeps, sed ceteros sodales monet ut idem faciant. Inde patet quantum aestimentur, iam ab originibus Academiae, monumenta imaginalia atque observationes naturales.

Maximum Academiae onus erit sodalium opera imprimenda curare. Iam anno 1605 primum librum sumptibus Academiae imprimendum edendumque curat Caesius. Huius libri titulus est "De nova stella disputatio" auctore Heckio. Agitur de nova stella in signo Sagittarii mense Octobri anni 1604 subito orta. De quo singulari evento cum multum disputavissent inter alios Keplerus, Galileus et astronomi Collegii Romani, Fridericus Caesius hunc librum edendo occasionem cepit demonstrandi quantum Academiae interesset res cosmologicas investigare.

Intra hos quinque circiter annos, quibus Fridericus Caesius a sodalibus suis paene omnino separatus est, mens eius multum mutatur. In Lynceographo, quod tunc conscribit, Academiam iam

non constituit ut secretum ordinem nobilium equitum, sed novum consilium proponit, i.e. «*non solum scientiam sapientiamque sibi acquirere, sed etiam scientiam omnibus divulgare verbis et scriptis.*» Hominibus incultis viam ad studia naturalia monstrare vult, quibus sapientiam adipiscantur. In Lynceographo etiam apparet magnum animi vulnus, quod Fridericus passus est, cum clausa esset Academia. Ne hoc iterum accidat, vult Academiam in medio retinere procul a controversiis religiosis vel politicis. Disciplinas enumerat quae Academiae possunt esse periculo: iuris prudentia, theologia, historia et praesertim res politicae. Non excludit experimenta chemica, sed «caute experiantur» (ut ipse scribit) ne Academiae sodales insimulentur artes magicas arcanasque exercere. Suadet ut potius rebus naturalibus explicandis diligenter studeant, atque publica experimenta ad medicam mechanicamque artem spectantia faciant, quae popularibus suis utilitati sint; ne etiam neglegant philologiam. Princeps Academiae sane iudicat aliquid concedendum esse eis qui in Italia tempore Contrareformationis et praesertim in ipsa Paparum urbe potestatem habent: relinquatur libertas philosophandi, dum servetur libertas rerum naturalium investigandarum. Cum sit distinctio subtilis, Fridericus saepissime monet "cautelam" adhibendam esse.

Minus paulatim adversante familia Caesia, anno 1610 Academiam iterum aperte ad vitam revocare tandem licet Friderico. Iohannes Baptista Porta (v. Della Porta) Neapolitanus die 8 m. Iulii a. 1610

«SPECILLA QUOMODO FIANT. Reliquum est specilla et specula quomodo fieri debeant, docere, ut suo Marte quisque sibi possit comparare. Conficiuntur in Germania pilae vitreae, quarum diametri longitudo pedalis maior minorve. Pila smiri lapide circumsignando in quam plurimos parvos circulos scinditur, qui Venetiis afferuntur. Hic manubrio ligneo glutinantur colophonia eliquata; et si convexa specilla facere volumus, clypeum ferreum habeas oportet concavum, qui sit portio magnae sphaerae, ut plus minus specilla convexa facere quaerunt, et sit clypeus perfecte expolitus. Si vero specilla concava quaerimus, sit pila ferrea, ut ea, quae maiorum aeneorum vi tormentorum exploditur, cuius superficies bipedalis, vel tripedalis, aspergitur supra clypeum, vel pilam harena alba, quae ex Vincentia fertur, vulgo dicta Saldame, atque ex aqua valde manibus conficitur, id usque donec superficies illius circuli formam clypei susceperit, scilicet convexam, vel concavam supra pilae superficiem, ut undique illius superficies adhaereat. Ubi id assecutum fuerit...»

Ubi id assecutum fuerit, longe adhuc aberit, lector, ut specillum tuum sit paratum. Ceterum totam formulam invenies in Ioh. Baptistae Portae *Magia Naturali*, Amstelodami apud Elizeum Weyerstraten 1664 (nova editio aucta), p. 617.

officialiter inscribitur inter Academiae sodales. Primus est multorum novorum sodalium qui mox cooptabuntur. Res mira: momentum Portae in Academiae res gestas maius fuit antequam sodalis fieret quam postea. Usque ad finem vitae traditionem magicam hermeticamque coluit, qua Academia in initio imbuta est.

In epistula die 28 m. Augusti a. 1609 data, Caesio interroganti de secreto tuborum optidorum qui in Germania Inferiore modo confecti erant respondet nihil inesse secreti cum tota res ex suo libro c.t. "De refractione optices partes libri novem"

(Neapoli, ex officina Horatj Silvani, a. 1593) deprompta sit. Quod falso autumat cum "camera obscura", quae ibi describitur, omnino non congruat cum tubo optico. Iterum post Galilei Galilei "Sidereum Nuncium" divulgatum (Venetiis a. 1610) autumat se priorem invenisse tubum opticum, quem Galileus sibi accommodavit.

Anno 1611 Galileus Galileus etiam fit sodalis Academiae Lynceorum, cuius cursum multum inflexurus est. Sed de hac re fusius in proximo fasciculo... ■

(sequetur)



PRIMUS NUNTIUS DE FUTURIS SEMINARIIS LATINIS

Anno 1993 Societas Latina (Universität des Saarlandes, FR. 6.3, D-6600 Saarbrücken 11) duo seminaria Latina instituet, quae Dr P. C. EICHENSEER moderabitur:

- Morsaci (Morschach) in **Helvetia** a die 25 in diem 31 mensis Iulii.
- Vavriae (Wavre) in **Belgica** a die 6 in diem 13 mensis Augusti.



DE NOVIS LIBRIS

Theodoricus SACRE, De poesi Latina parte saeculi XVI posteriore Mediolani exulta prolusio. Accedit Ioannis Baptistae Vicecomitis de Iesu Christo poema nunc primum editum, Romae, Academia Latinitati Fovendae, Bibliotheca Scriptorum Latinorum, 1991, 93 pp. (Piazza dei Cavalieri di Malta, 2 - 00153 Roma)

Quamvis Mediolanum litteris semper floruerit, poetae qui exeunte saeculo XVI cecinerunt videntur a posteritate neglectos esse; cui oblivioni hoc opere medetur Professor Sacré. Illius temporis adumbrat historiam poeticam: insunt amatoria, insunt tragica, insunt Palearius, Cicereius, Baldinus, Rovidius, alii multi. Haec est, ut ait, promulsis qua sumpta vobis veniet cupido plura legendi. Ceterum ipsi promulsidiam inest magna voluptas: nam is, qui linguam Latinam amat, Theodorici Sacré genere scribendi procul dubio delectari debet.

His additur editio critica (prima omnium) carminis quod panxit Ioannes Baptista Vicecomes de Iesu



cruci affixo: qui poeta narratione tragica (Vergilium libenter redolenti) Christianam pompam comitatur usque ad ultimum locum quo «Protinus horrentem Christum genibusque labantem / adducunt» (v. 298-299).

Erasme, in: «Le Folklore brabançon» n° 275, Bruxellis, nov. 1992 (Francogallice conscriptus; sedes: Rue du Marché aux Herbes, 61 - 1000 Bruxelles)

Hic fasciculus periodici Brabantici totus est Erasmo dicatus. Quattuor insunt symbolae: Iohannes Petrus Vanden Branden, rector Domus Erasmiana Bruxellensis, tractat de Renascentia, qualis revera fuerit, et de Erasmi anticlericismo; Marcellus Jacobs, de capitulo Anderlechtensi; sodalis autem noster Alanus Van Dievoet proponit primam versionem Francogallicam operis c.t. «Exomologesis, sive modus confitendi». Quod opus, Lugduni editum anno 1528, numquam versum erat in linguam modernam. Alanus Van Dievoet factus est officialis Musei Erasmiani translator atque varios textus lauta versione Francogallica iam ornavit.

Francisca DERAEDT

VIR VERUS VASA LAVARE NON TIMET

ASSEVERAT ERICUS PALMÉN

Hanc commentationem quaedam se ficto nomine «Feminam Veram» appellans in actis diurnis Granivicensibus, quibus nomen est Keski-suomalainen (5.7.1992) Finnice edidit; eandem Latine reddidit Ericus Palmén. Translator nobis non dixit, quid de hoc problemate sentiret; sed, cum non timuerit hanc paginam lectoribus afferre, suspicamur eum esse virum verum verissimumque!

Numerus divortiorum nuper non tantum in urbibus, sed etiam ruri valde auctus est. Multae uxores vel aegre passae sarcinulis collectis maritos suos deserunt. Eius rei ipsae varias proferunt causas, quarum haec est summa: viros ita educatos esse, ut sibi omnino diffisi feminis pro columinibus rerum suarum uti consuerint. Illis miseris velut infantibus consuli debere: non modo cibos parari, sed etiam vestimenta porrigi, quia ipsi ea in armariis reperire nequeant; omnia denique ab iis passim dispersa feminis rursus in ordinem esse redigenda. Praesertim iis, quae pecuniae merendae causa foris quoque operentur, feminis multo plus quam viris laboris esse, quia nihilo minus liberos et res domesticas plerumque solae curare debeant. Neque tamen sese de multitudine laborum queri, sed potius de impari condicione, quam in imperio virorum subire coactae sint.

Haud iniustae sunt querelae illarum feminarum. Plerique enim viri, imprimis ruri habitantes, vere rustici sunt pueri, quippe qui pueriliter



sua dignitate alienum putent domesticis laboribus interesse, e.g. liberos curare et vasa lavare. Talium virorum feminae paullatim summo taedio captae pares sibi socios desiderare coeperunt - viros veros, qui non solum suas res curare, sed etiam uxores in liberis curandis aliisque rebus domesticis adiuvare sciant ac non solum semet ipsos, sed etiam feminas magni aestiment neque has servarum loco habeant.

Omnia illa in sexuali quoque vita plurimum valent. Quae enim femina in lecto puerulum quam virum verum malit accumbere? Haud iniuria complures feminae aperte confitentur se ad libidinem excitari, quotiens videant virum vasa lavantem; hac re significari ei et in capite et in bracis aliquid esse. Expertae credite, viri honorabiles! ■

"EGO ALOYSIUS CADAMUSTUS..." (II)

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

In Melissa superiore fasciculo initium legimus relationis, qua Aloysius Cadamustus itinera Indica narrat¹. Cum eo fuimus in urbe Calechut, ubi Portugallenses conantur commercium instituere.



E MUNERIBUS MISSIS AD REGEM CALECHUT.

Primo vas aureum caelatum, in quo principes de more manus abluunt, maluvium appellamus; deinde vas aliud argenteum, idemque inauratum coopertumque cooperculo argenteo, miro modo fabrefacto. Item clavas duas argenteas cum catenis argenteis. Item pulvinos quattuor praegrandes, videlicet, duos coopertos aureo panno, duos vero alios ex serico purpurei coloris. Item conopeum unum ex panno aureo cum laciniis distinctis auro ac serico coccineo, cumque eo tapetum magnum et stragula duo ditissima: alterum figuris insignitum, alterum vero arbusculis ac foliis virentibus distinctum. Deinde gutturnium argenteum, quo guttatim per colli angustias aqua infunditur manibus, pari opera et ornatu elaboratum, uti vasa superius descripta.

His susceptis muneribus, necnon visis litteris et legatione audita, visus est laetari plurimum. Propterea hortatus est praefectum classis, ut diverteret in eas aedes, quas sibi parari iusserat. Interea dixit se missurum captum eos obsides, quos pignori dederat praefecto, quoniam viri erant patricii clarique admodum, nec usque in illam horam cibi aliquid sumpserant aut potus, quandoquidem ipsi pro lege habebant, ut in mari cibum non capiant, nec bibant, essentque usquequaque insomnes. Addiditque si praefecto complacitum sit naves repetere suas, id pro arbitrato faceret, quoniam eosdem obsides in crastinum se daturum pollicebatur, ut rursus ipse redire ad regem posset, expediturus commercia.

Igitur dux noster classem revisit, relicto interea Alfonso Furtado cum sociis septem vel octo qui illi domi inservirent. Dum itaque litus deserit praefectus noster, verna quidam illorum nobilium praevenit praefectum et citatissimo gradu contendit ad obsides, nuntians praefectum recessisse.

Qui ubi haec acceperit, sese praecipites e

Sed res non videtur ita facilis esse; tandem, multas post dubitationes, obsides invicem dantur. Poteritne negotium procedere? Indico regi iam afferuntur splendida dona...

navibus in mare dederunt; quod videns Araschorea negotiator praecipuus illico conscendit cymbam et mox duos obsides cepit cumque eis tres vel quattuor vernas; reliqui vero natando evasere.

Interea praefectus classis supervenit et eos obsides, quos nactus est, in inferiore parte navis poni iussit, ne et ipsi in mare desilirent. Deinde monuit regem de compertis, questus de gestis per obsides, reliciens causam huius rei in quendam regium amanuensem; addebatque in carcerem trussisse obsides, ob id quod timerent suis, quia adhuc in terra apud regem agebant. Et insuper suam supellectilem repetebat, spondens se quamprimum dimissurum obsides, ubi sui dimitterentur.

Ivere igitur ad regem nostri legati, cumque eis duo ex illis quos ceperamus in almadiis, et tota nocte praefectus classis praestolatus est responsum.

Postero autem die rex ad litus accessit, stipatus cohorte decem aut duodecim mille hominum, et cum eis nostri, quos cum suis permutaturi erant. Interea expediuntur viginti aut triginta almadiae, quae cum nostris qui permutandi erant conscendunt ad classem.

Ubi igitur in conspectu fuere, propius accedere non audebant, haesitabundi omnes, an prius darent captivos, quam suos redemissent; et inter spem et metum positi, totam diem frustra consumpsere, rursus ad litus redeuntes; et cum terram appulissent, nobis conspectis, probris et maledictis nostros incessebant, identidem mortem ac supplicium minitantes.

Quare nostri noctem illam per varias animi interturbationes et corporis molestias transegere. Sequenti tamen luce iterum rex mittit ad praefectum internuntios, nuntians se ultro suos ad eum mittere inermes cum captivis Christianis, exhortans plurimum ut ipse remitteret obsides, quos penes se habebat. Mittit itaque dux noster cymbas suas ad



almadias, ut tandem aliquando permutatio fieret captivorum.

Convenere cymbae utrimque, et supellex reddebatur nostris, cum senex impatiens morae sese in mare iecit. Tunc nostri indignati plurimum et senem capiunt et alios in mare trudunt. Postridie dux compassus seni, qui famem triduo sustinuerat, eum ad regem misit rogans, ut et ipse remitteret adulescentes duos, qui inibi adhuc retinebantur; remisitque omnia eorum arma, quae capta fuerant in almadiis.

His visis rex pudore victus adulescentes ad praefectum mittit. Post haec triduo continuo nemine ultro citroque commeante, sed omnibus domi sese continentibus, praefectus tandem decrevit regem rursus his aggredi verbis: quod, videlicet, commercia inter nos futura essent, si iterum obsides darentur.

Cum vero haerent omnes, nec invenirentur qui barbaris ultra fiderent ob praeteritam perfidiam, Franciscus Choreia eques se ipsum obtulit id munus obiturum seque regem aditurum intrepide clara voce professus est.

Ita actum est, regem adivit ipsumque certiolem fecit venturum Araschoream ad regem, de mutuis mercimoniis tractaturum; verum id haudquaquam fieri posse, nisi rursus obsides dentur. Nam petebat pro pignore mercatorem quendam locupletissimum, Gugeratum nomine. Tum is mercator respondit se mox missurum nepotes, quos habebat duos; quod regi admodum complacitum fuit.

Itaque sequenti die de his omnibus praefectus a Francisco certior est factus. Quibus perceptis, Araschorea se itineri accinxit, prius obsidibus in potestate habitis.



um ergo terram Araschorea appulisset, et dies iam inclinaretur, visum est ad classem redire, ut ibi noctem tutius agerent. Postridie vero ad regem contendit Araschorea navaturus de commerciis operam, quam Franciscus regi pollicitus fuerat.

Huic igitur rex perquam commodas aedes dari iussit, quae erant illius viri locupletissimi, cuius superius meminimus; cui etiam a rege demandata erat provincia, ut Araschoream mores regionis sedulo doceret.

Coepit itaque Araschorea negotiari, nec mercari poterat, nisi per interpretes Arabas; neque regem adire quibamus, nisi Mauris mediis, qui suapte natura invidi nobis adversabantur et iugiter imponebant; non tamen eorum impostura nos diutius latuit.

Nam id curaverant, ut dum negotiabamur apud

eos, nemo nostrum ad classem contenderet; si tamen in terram nostris ibant aliqui, excipiebantur ab eis, sed redeundi nulla dabatur copia. Quod videns dux classis credidit fraudem subesse et ventis vela facere iussit. Et cum rates iam altum tenerent, conspectae a nostris, per internuntium perceleri cymba vectum revocatae sunt ad portum.



ebus igitur pacatis, Araschorea commercia exercebat cum barbaris et adeo res conquiere ut iam intrepide nostri negotiari quirent. Is tamen mercator Maurus, qui nepotes pignori opposuerat suos, eos repetebat, nos fere infensus observans. Tum rex, alio accersito viro Turcha, protinus iubet ut nostra non incuriose curet aliasque paret aedes, ut mitius pacatiusque nostras divenderemus merces.

Hoc facto, in dies melius nostra suum effectum sortiebantur; nam vendidimus multa compluraque emimus, et inter nos viguere spatio duorum mensium mirabilem in modum commercia.

Rebus itaque nostris nundinatis, it ad regem Araschorea et gratias agit quas potest maximas. Invicem rex multa pollicetur hortaturque plurimum, ut coepta mercimonia deinceps prosequantur intrepide; nec prius eos missos facit, quam aedes illis perpetuo donaverit, super qua re confecta sunt diplomata, hoc est regiae litterae, quae vicem supplebant privilegii. Hae enim ex aere erant ad ipsos, ad regem vero Lusitanum ex auro purissimo. Is est suus mos exarandi diplomata, quae mercatoribus dari solent. Erecta etiam sunt de iussu regis trophaea regia supra domum, ut sic aedium indemnitati consultum foret.

Contendit itaque ad classem Araschorea et litteras profert regias, ac obsides reddidit quam primum, quibus confisi maxima securitate altissimaque pace fruebamur; iam alter fidebat alteri, et de obsidibus nulla mentio fiebat; videbamur enim domi agere, adeo amice omnia inter nos agitabantur. ■

(1) *Simonis GRYNÆI Novus orbis regionum ac insularum veteribus incognitarum, Basileae apud Io. Hervagium, 1555, p. 1 sqq.: "Aloysii Cadamusti navigatio ad terras ignotas, Archangelo Madrignano interprete".*

VITALIS BENEDICTUS MAZOYER (1799-1856)

HYMNI MASSILIENSIS LATINUS INTERPRES

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

«Allons, enfants de la patrie»: carmen quod ita incipit ducentis abhinc annis, cum Germanis Austriacisque bellum indixissent Galli, a Rouget de Lisle centurione eodemque musurgo Argentorati effictum est et *Rhenani exercitus carminis* titulo inditum. Ipsum deinde cum a militibus Massiliensibus Parisios versus iter conficiantibus crebro esset cantatum, *Hymnum Massiliensem* vulgo vocarunt. Postremo idem hymnus populi Gallici evasit publicus, multis tamen civibus, qui nunc sunt, ingratus et invisus.

Anno autem 1830 cantum nondum obsoletum, dum tumultibus acrioribus denuo rapiuntur Francogalli, hortantibus nonnullis discipulorum parentibus, rhythmis Latinis interpretatus est Vitalis Benedictus Mazoyer; versiculi ei Latini versione priore prodierunt Lugduni anno 1831¹, posteriore et emendatiore ibidem anno 1838, subiuncta interpretatione Graeca². Rem ipsam non est cur demiremur. Saeculis enim XVIII et XIX nihil erat quod Latine verti non posse existimaretur; siquidem (alios ut mittam) P.A.M. La Tour, gymnasii Nannetensis praeceptor, ipsum Ludovici XVI regis testamentum dignum iudicavit quod Latinis versibus redderet³. Ceterum Vitalis Mazoyer Latinitati vivae vere favebat. Anno enim 1838 Latine discentibus novam proposuit methodum; qua si usi essent, fore ut toto terrarum orbe intellegerentur; missis verbis temporalibus praeter unum essendi verbum, omnia expeditissime exprimi posse copulis et praedicatis nominalibus (veluti «Napoleo erat amans bellum»)⁴.

De viri huius vitae cursu pauca comperta habemus⁵. Natus est in urbe Anicio (vulgo Le Puy) anno 1799. Ad baccalaureatum promotus adolescentis Graece et Latine instituit, tum Nantuaci (vulgo Nantua), tum in oppido Saint-Vallier. Ni omnia fallunt, anno 1830 e munere est eiectus; itaque Lugdunum migravit victus quaerendi causa; qua cum in urbe provinciam aliquam docendi frustra sibi ambisset, inde ab anno 1831 in officina quadam typographica correctoris officium explevit; quod eum a Latina lingua non omnino avocavit. Nam anno 1832 fabellas aliquot Latinas et Graecas divulgavit⁶, anno 1848 tria carmina Latina in lucem edidit, Poema Lugdo, Lugduni conditori, dicatum ut arti typographicae iam neglectae consuleret, epigramma ad Iohannem Gutenberg, artis eiusdem inventorem, et elegeam ad cardinalem

de Bonald⁷. Poema autem ita incipit:

*Protinus o Musae deponite gaudia vestra
et coniungentes paulisper tristia mecum,
optima Lugduno doctrina quod exiit urbe,
vos quaeso celebrem Lugdum salvere iubete.*

Plura laudarem, si elegantia praestarent; at viri voluntatem probo, fructus ipsos minus probo. Latinae ille linguae defensor a.d. VI Kal. Nov. 1856 supremum obiit diem.

ADNOTATIONICULAE

- (1) Eloge de Napoléon, suivi de la Marseillaise en vers latins par V.B. Mazoyer, du Puy en Velay, professeur, bachelier-ès-lettres (Lugduni, 1831).
- (2) Méthode pour apprendre seul à parler assez bien le latin. Dédié aux écoliers, principalement aux polyglottes adultes. Par Mazoyer du Puy, bachelier-ès-lettres, ex-professeur de grec et de latin, correcteur-typographe (Lugduni, 1838), pp. 78-83. Versio autem Graeca ita incipit: *Τῆς πατρίδος ἥρωες, εἰλα / Ἔστι τῆς δόξης ἡμέρα! / Οἱ φάυλοι δεσπότες τὰ καθ' ἡμῶν / Ἄλματος ποιοῦσι πόλεμον.*
- (3) Testamentum Ludovici Decimi Sexti, in numeros Latinos conversum a P.-A.-M. La Tour (Namnetis, ca. 1828). Carmen ita incipit: «Hacce die qua lux vicesima quinta Decembris/ splendet (iam Phoebus lustravit saecula dena/ et septingentos annos bis denaque lustra./ at lustris anni octoni tollantur oportet),/ in decimus sextus Lodoix ego Gallica tractans/ scepra, Parisiaci templi miser incola turris,/ ex quo luna quater latuit, quater orbe recrevit,/ (hicce meos eadem sors torquet) clausus ab illis/ in quos legitime exercebam regia iura,/ quolibet a coetu saeve subductus, ab ipso,/ a dena mensis praesentis luce, meorum/ conventu, circumretitus lite nefanda/ cuius, ob affectus humanos, non datur ulli/ prospicere eventum, cuius non extitit ullum/ praetextum, non ulla via umquam in lege vigente,/ solo teste Deo cui possim pandere pectus,/ quae volo postremum, quae sentio promo libenter.»
- (4) Cfr. adn. 2.
- (5) Cfr. praefationes ipsius et A. Vingtrinier, «La Marseillaise de Mazoyer», *Revue lyonnaise*, 1886 (27 pp.).
- (6) Les quatre filles de Napoléon, tirées des 300 narrations grecques et latines de V.-B. Mazoyer du Puy..., traduites en français par l'auteur (Parisii et Lugduni, 1832).
- (7) *Dyssergie* Lugdunoprototechnique ou décadence du premier des arts à Lyon.... par Mazoyer, bachelier, correcteur-typographe (Lugduni, 1848).



Ab oblivione vindicetur...

LA «MARSEILLAISE»

Allons, enfants de la patrie,
le jour de gloire est arrivé!
Contre nous de la tyrannie
l'étendard sanglant est levé.
Entendez-vous dans nos campagnes
mugir ces féroces soldats?
Ils viennent jusque dans vos bras
égorger vos fils et vos compagnes.
Aux armes, citoyens! Formez vos bataillons;
marchons, marchons; qu'un sang impur
abreuve nos sillons.

Que veut cette horde d'esclaves,
de traîtres, de rois conjurés?
Pour qui ces ignobles entraves,
ces fers dès longtemps préparés?
Français, pour nous, ah quel outrage!
Quels transports il doit exciter,
c'est nous qu'on ose méditer
de rendre à l'antique esclavage!
Aux armes...

Quoi! Des cohortes étrangères
feraient la loi dans nos foyers!
Quoi! Ces phalanges mercenaires
terrasseraient nos fiers guerriers!
Grand Dieu! Par des mains enchaînées
nos fronts sous le joug se ploieraient!
De vils despotes deviendraient
les maîtres de nos destinées!

Tremblez, tyrans et vous, perfides,
l'opprobre de tous les partis!
Tremblez, vos projets parricides
vont enfin recevoir leur prix.
Tout est soldat pour vous combattre.
S'ils tombent, nos jeunes héros,
la France en produit de nouveaux,
contre vous tout prêts à se battre.
Aux armes...

Nous entrerons dans la carrière,
quand nos aînés ne seront plus.
Nous y trouverons leur poussière
et l'exemple de leurs vertus.
Bien moins jaloux de leur survivre,
que de partager leur cercueil,
nous aurons le sublime orgueil
de les venger ou de les suivre.
Aux armes...

Amour sacré de la patrie,
conduis, soutiens nos bras vengeurs.
Liberté, liberté chérie,
combats avec tes défenseurs.
Sous nos drapeaux que la victoire
accoure à tes mâles accents;
que tes ennemis expirants
voient ton triomphe et notre gloire!
Aux armes...

Versio I

Fortes, eia, cives patriae,
emicat dies gloriae.
Contra nos dirae tyrannidis
vexillum stetit cruoris.
Audite, per colles et montes,
hos feroce mugientes.
Vestra ruunt in bracchia
occisum filias, connubia.
Ad arma, concives, patrentur agmina,
cito, cito cruor foedus riget sata arva.

Ista quorsum turba servorum,
proditorum, tyrannorum?
Quibus haec turpia vincula
iamdudum tendunt parata?
Galli, nobis! O convicium
iram nostram excitaturum!
Audeant quidem temptare
non eis, sicut olim, servire.
Ad arma...

Colluvies ut quid exterae
nos regerent domi nostrae!
Eheu! Venales hae cohortes
nostros funderent milites!
Omnipotens! Palmis ligatis
mitteremur nos sub iugis;
fierent tyranni viles
fati nostri gubernatores!

Tyrannis tremor et perfidis,
parti probro sint cuivis.
Istorum nequam facinora
sunt poenas mox solutura.
Omnes Galli nunc sunt milites;
nostri si cadant heroes
patria gignit alios,
contra vos ilico pugnaturus.
Ad arma...

Protinus ad arma curremus
cum nostris erit obitus;
invenietur horum pulvis
exemplum quoque virtutis.
Minus cupidi vitae nostrae
quam mortis eorum pulchrae,
nobis erit ulciscendi
superbia vel eos sequendi.
Ad arma...

Care nobis amor patriae,
bracchium tege vindictae!
Libertas, libertas dilecta,
cum tuis amicis pugna!
Victoria nostris vexillis
ad te veniat expansis;
tui pereuntes hostes
gloriam nostram sint intuentes.
Ad arma...

Versio II

Agitedum, cives patriae
dies emicat gloriae

Per colles auditisne et montes
truces istos mugientes?

Adsint arma, cives! Struantur agmina
sata foedus cruor riget arva.

Turpia quibus haec vincula

Audent insani temptare

Adsint...

Venientes heu turbae foris
imponerent legem nobis.
Gregariae, quid!, hae cohortes
nostros caederent milites.
Ens entium! Ligatis dextris
conficeremur nos iugis.

Intererimus armiferi
cum non erunt fratres nostri.

Vitae minus cupidi nostrae

Adsint...

Amor sanctissime patriae,
manus tuere vindictae

cum patronis tuis pugna.
Gallica nostra sub vexilla
ad te currat victoria;
hostes tui pereuntes
te nosque videant triumphantes.
Adsint...

DE MORTE ET SEPULTURA (II)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

Animas mortuorum Romani tamquam umbras corporibus carentes animo sibi effingebant, quae a Charonte portatore trans Stygem, Acherontem, Cochyntum ad nemora fortunatorum traici dicebantur; Charontem enim animas inhumatorum sive insepultorum trans illa flumina transvehere repudiare putabant. Tales enim mortuorum animae sine sepultura multa milia annorum in vasto inter sepulcrum et Orci flumina spatio vagari dicebantur, inde illa damnatorum propensio ad viventes vexandos.

Haec de mortuis opinio usque ad Mediae Aetatis saecula vigeat.

In initio humatio praevalebat, deinde ab anno a.Chr.n. millesimo fere usque ad annum 700 homines antiquitatis urnis utebantur cinerariis. Moribus autem paulatim mutatis inde ab saeculo 7 usque ad 2 a.Chr.n. mortui plus minusve sepeliebantur. Omnes tales consuetudines ad opiniones spectabant, quas homines de vita post mortem sibi effingebant: anima mutatur in fumum, spiritum, umbram. Temporibus principatus ineuntis incineratio iterum dominabatur, Germani autem humationem exercere pergebant. Inde ab secundo p.Chr.n. saeculo exeunte multi Romani humationem praeferebant, ita ut inde ab quarto p.Chr.n. saeculo - Christianismo invalescente - humatio iterum dominaretur. Carolus Magnus denique cadavera hominum comburi vetuit.

*
* *

Et quid de donis supremis?

Dona suprema primaria: e vestigiis incinerationum elucet illa dona rogo superimposita fuisse. Dona suprema secundaria: talia dona igne extincto in sepulcro deponerentur; instructui inserviebant pro vita in ulterioribus degenda. Sepulcrum in antiquitate domicilium animae existimabatur, quo defunctus alterius meliorisque vitae incohanda causa immigrare putabatur.

Tria genera donorum supremorum sunt distinguenda: primum res, quae homini defuncto valde cordi fuerant in vita peracta e.g. ornamenta, anuli, murenulae, margaritae, oblectamenta infantium etc.; secundum res ad cultum corporalem pertinentes velut specula, pectines, seplasia, unguenta etc. Omnes res supra enumeratae

cadaveri imponi solebant intra capulum sive sarcophagum. Tertium, res quae extra sarcophagum sive capulum in cavernis e lateribus foveae excavatis deponerentur, e.g. vasa escaria, vinaria, coquinaria, fictilia aut vitrea. Persaepe bina aut trina talia vasa eiusdem generis - syntheseis - deponerentur. In catinis appositis nonnumquam ossa gallinarum ac testae ovorum sunt repertae.

Sarcophagi saxis quadratis in modum tecti fastigati operati - ne arena superfusa comprimerentur - saepe e marmore, e tufo, e lapide arenaceo aut calcareo confecti non raro - speciatim 3 p.Chr.n. saeculo - direptionum vitandarum causa in solum erant demissi. Nonnumquam sub divo collocabantur, ita ut omnia latera titulis anaglyptisque ornata oculis praeberentur.

Mortuis domus speciales crebro aedificabantur, ubi viventes una cum animis defunctorum festa agere possent, qua de causa ante sarcophagos scamna saepe erant posita, itemque (secundum vias sepulcretorum) vineta, arbores frugiferae instituebantur.

In partibus imperii Romani ad solem orientem vergentibus persaepe omnia quattuor latera sarcophagorum opere caelato inscriptionibusque erant exornata. In provinciis ad occasum solis vergentibus tria tantummodo latera saepe erant ornata latere posteriore sive postico excepto, quod parieti sepulcri acclinatam esse solebat.

Sarcophagus ergo quodammodo domus habebatur, e qua anima defuncti voluptatem caperet.

Amuleta quoque, instrumenta minuscula aenea, in scriniis aut in sacculis e corio factis deponerentur. Magnam partem agitur de symbolis Mithriacis: iugum duplex, libra, clavis, lacerta, rana, serpens, scalae, malleus, cochlea, etc., itemque vasa minuscula, sucinum, res quae iuxta caput apponi solebant. Illa symbola Mithriaca praecipue in sepulcris feminarum sunt reperta ac tantummodo in regione Rhenana. Disceptatio de significatione horum amuletorum adhuc nondum est finita; verisimile est illa symbola ad quoddam numen regionale rettulisse morbisque, accusatoribus, latronibus, hostibus arcendis inservivisse amorique augendo.

Incineratio:

Rogo bonae materiae duorum fere metrorum

erecto cadaver hominis feretro apportatum imponebatur. Antequam rogos accenderetur, dona suprema in ligno sive in cadavere collocabantur: vasa arma equi canes aves una cum defuncto urebantur. Consanguinei rogam facie aversa incendebant cuius cineres aqua vinove exstinguebantur.

Apud Statium poetam haec legimus: «...tibi Setia canos restinxit cineres» (Silvae, 2,6,90 sqq.). Igne tali modo exstincto amici nonnulla ossa combusta colligebant lacrimis adiunctis. Urnae generatim ollae erant faciebus humanis exornatae in pariete exteriori daemonum spirituum malevolentium arcendorum causa. Amphorae quoque fictiles cineribus asservandis inserviebant, itemque vasa e vitro caeruleo sive subcaeruleo confecta, quae paululo pretiosiora erant urnis fictilibus i.e. ex argilla fictis.

Pedibus nudis ac sine cingulo ad sepulcrum gradientes superstites urnam tacite deponebant.

Nonnumquam cadaver rogo supra foveam - generatim duo metra longam - erecto imponebatur, ecce bustum; agebatur de sepultura singulari. Omnes cineres (et ligni et ossuum) decursu incinerationis decadebant in foveam. Nonnulla ossa combusta e cineribus deprompta vinoque lauta in urna condebantur; urna ipsa sepulcro commendabatur.

Busta permagni constabant.

Monumenta sepulcralia nonnumquam sita erant in area agris hortis muris saepta, quae tutelae sepulcri inserviebat ac cibos potiones rosas subministrabat (i.e. quae in sepulcro curando inserviebat). Sepulcra talis generis cenotaphia appellabantur.

In quodam coemeterii angulo ustrina erat sita, area rotunda altisque cupressis saepta cadaveribus inserviens incinerandis. Illa autem area locus non erat religiosus.

Post sepulturam silicernium habebatur, i.e. porca praesentanea in honorem Cereris deae ante sepulcrum mactabatur; tum epulum funebre habebatur; anima defuncti illud epulum una cum consanguineis sumere credebatur, qua de causa catini cibus repleti vasaque potiones continentia in tumulo deponebantur. Septimo autem die maeroris vervex in domo erat mactandus in honorem Laris familiaris, cuius sacrificio tempus maeroris desinebat domusque iterum lustrata aestimabatur: in focus ignis iterum accendebatur, matrimonia contrahere iterum licebat.

Nonnumquam Romani foramen terebant in operculum sarcophagi aut capuli aut urnae, simul in superficiem tumuli amphoram imprimebant, cuius fundum acutum decusserant. Illa duo foramina - et in sarcophago et in amphora - tubulo fictili plumbeove erant iuncta. Tubulo ergo amphoram sarcophagumque iungente viventes animas defunctorum «nutrire» solebant cibis

potionibusque demissis. Quo systemate tubulorum mundus viventium ac mundus mortuorum invicem communicabant, ut ita dicam. Talis actio ciborum demittendorum profusio nominabatur. In Britannia urna quaedam plumbea cum parva parte tubuli adhaerentis est effossa:



Urna cineraria plumbea effossa in Britannia. Phot. depr. e: J.M.C. Toynbee, Death and Burial in the Roman World, James & Hudson, Great Britain, 1982.

Operculum et capulus sarcophagi crebro fibulis metallinis continebantur, ne illa «domus aeternitatis» aperiretur neve expiraretur.

Si quis deprehendebatur in diripiendo sarcophago severe puniebatur: aut capitis damnabatur aut altera manus decutiebatur. Tales autem offensiones et contra bonos mores et contra sepulcrum dedicatum sive consecratum susceptae, tertio praecipue p.Chr.n. saeculo exeunte et quarto p.Chr.n. saeculo ineunte saepius fiebant; inscriptiones incisae sarcophagorum eradebantur, novi tituli insculpebantur. Illis temporibus Coloniae Claudiae monumenta sepulcralia vetustiora saepe iterum adhibebantur in novis sepulcris erigendis aut tamquam rediviva aedificiis militaribus inserebantur, e.g. in ponte anno p.Chr.n. 310 in Rheno faciendo Constantino Magno imperitante.

Inde a die tertio decimo usque ad diem vicesimum primum mensis Februarii parentalia agebantur, festum novem dierum animis parentum defunctorum sacrum. Templis clausis magistratibus insignia officialia erant deponenda, omnes actiones ominum bonorum, e.g. nuptiarum solemnium, interdictae. Ultimus tantummodo dies illius periodi, «feralia», in fastis est veteribus.

Reliqui dies illius periodi cultui privato erant reservati. Turmae civium ante moenia ambulabant,

mortuis sacrificabant dona ferentes:serta, fruges, sal, violas, panem vino conditum. Talia etiam secundum vias publicas collocabantur ac deponebantur animarum defunctorum placandarum causa. Vox «feralium» ergo a verbo «ferre» derivata est.

Nihilominus diebus Parentalium: matrimonia non erant contrahenda, arae sine ture, foci sine flammis, magistratibus togam praetextam gestare non licebat. Diebus nono, undecimo, tertio decimo mensis Mai templis clausis lemuria agebantur. Lemures sive - inde a primo p.Chr.n. saeculo - larvae, i.e. spiritus malevoli defunctorum, illis diebus ex sphaera umbrarum, i.e. e sepulcro, excedere perque mundum - i.e. foveam rotundam in colle Palatino sitam generaliterque clausam diebus Fastorum tantummodo apertam - ad lucem ascendere domosque superstitum petere ac vexare dicebantur. Ille mundus quodammodo iunctio habebatur inter Orcum et loca superiora. Qua de causa pater familias lemurum placandarum causa media nocte pedibus nudis per domum ire manus aqua fontis puri lava fabas nigras post tergum iacere solebat novies proferens: «His fabis me meosque redimo». Manibus iterum lavatis noviesque fabis post tergum iactis instrumentum quoddam aeneum vehementer pulsans haec proferebat verba: «Manes maiorum abite!»

Pauca hoc loco quoad lemures sint addenda:

Romani voce Manium utebantur, ne cives superstites «mortuorum» voce terrentur. Manes collectivitas erant, plurale tantum, in initio ad omnes animas mortuorum pertinens. Decursu autem temporis ad individua, i.e. ad animas singulares quoque spectabant. In sarcophagis duae litterae «D.M.» incisae illos Manes adumbrabant, ne viventes illis duobus verbis «Dis Manibus» perterrentur.

Manes si bene tractati erant a superstitibus Lares fieri aestimabantur, spiritus ergo putabantur benevoli. Sin autem male tractati a viventibus, larvae sive lemures fieri habebantur, i.e. spiritus malevoli mala mittentes somnia.

Inde ab Augusto imperitante columbaria instituebantur, longi andrones subterranei nonnumquam superpositi viisque lateralibus praediti, e quorum parietibus numerosae cavernae erant excisae, loculi quae dicebantur, 30 usque ad 40 centimetra longi latique generatim binas urnas cinerarias sive ollas continentes. Sub unoquoque loculo inscriptiones in tabellis incisae sive illitae erant. De servis autem in illis tabellis mentio fieri non solebat.


Servorum ergo libertorumque quoque cineres ibi deponi mos erat loco in sepulcro patroni deficiente. Pauperibus item familiis inserviebant quibus opes deerant ad emendum locum funeri

destinatum. Talia columbaria generatim a sodalitatibus aut societatibus aut collegiis funeraticis instituebantur, quorum sodales et ingenui erant et liberti. Illae societates subdivisae erant in decurias, quibus decuriones praeerant. Sodalibus sive sociis tallium societatum singulis mensibus contributiones erant persolvendae. Tales areae subterraneae a sodalitatibus subdividebantur ac divendebantur.

Catacumbae quoque instituebantur, coemeteria subterranea multorum andronum, e quorum parietibus saxeis «formae» erant excisae, i.e. cavernae oblongae retriangulae, in quibus defunctorum cadavera condi solebant. Iudaei ac Christiani mortuos suos in illis coemeteriis communibus sepeliebant, ne post mortem separarentur - sectatoribus aliarum religionum non admissis. Catacumbae ergo coemeteria erant communitatum religiosarum, quo sectatores meditationum divinarum causa conveniebant.

Hypogaeum conclave est subterraneum tabulato superiore sub divo praeditum. In Rhenania prope urbem Coloniae Claudiam e.g. tale hypogaeum saeculo praeterito effossum 6 metra infra superficiem terrae situm, quadratum, e lapidibus quadratis confectum ac concameratum secundo p.Chr.n. saeculo est adiudicandum.

In tribus parietibus conclavis subterranei caverna magna est exstructa; in unaquaque illarum cavernarum quinque cavernae minores sunt excisae in parietibus. Insuper decem aliae exstant cavernae



Hypogaeum Romanum Coloniae Claudiae Arae Agrippinensium effossum. Delineamentum depr. e: Gerta Wolff, Das Römisch-Germanische Köln - Führer zu Museum und Stadt. Bachem-Verlag, Köln, 1981.

parvae; agitur ergo de tribus cavernis maioribus et 25 cavernis minoribus. In illis tribus cavernis maioribus incrustationes marmoreae formas adumbrant lectorum. Medio in conclavi centrali sarcophagus erat collocatus itemque duae cathedrae marmoreae cathedras e vimine confectas imitantes, insuper nonnullae imagines dimidiatae - effigies - marmoreae 4 p.Chr.n. saeculo adiudicandae.

Sub illis lectis - i.e. incrustationibus marmoreis - cavernae longiores sunt instructae de arcosoliis quae dicuntur admonentes. In illo autem hypogaeo Coloniensi arcosolia ornatui tantummodo inserviebant quia nimis plana, angusta, parva.

In catacubarum arcosoliis e.g. corpora defunctorum condi solebant; in hypogaeo autem Coloniensi agitur de pseudo-arcosoliis.

In talibus monumentis omnia reperiebantur, quibus opus erat in ulterioribus: vasa fictilia, vitrea, vinaria, coquinaria, lucernae, oblectamenta infantium, vasa cibis provisus, supellex multaque alia.

Cenotaphium - hic agitur de «sepulcro honorario». Cenotaphia ponebantur

1. pro civibus, quorum cadavera reperiri non poterant quia in maribus aquis erant submersa e.g. in procellis.
2. si qui miles in pugna extra Italiam ceciderat, cenotaphio erecto anima hominis defuncti sollemniter nominatim vocabatur ac invitabatur, ut immigraret in cenotaphium. Celeberrimum cenotaphium in Rhenania effossum in Museo Bonnensi exhibitum dedicatumque est centurioni Marco Caelio, qui anno p.Chr.n. nono in bello Variano mortem obiit. Frater Marci lapidem posuit.

Lapides sepulcrales - multa anaglypta cenam feralem repraesentantia in lapidibus sepulcralibus non a Romanis sunt excogitata et exsculpta, sed a Graecis in Graecia septentrionali ac in Thracia, ubi in initio anaglypta heroum divinorum cenantium e lapide sculpebantur; decursu autem temporum, speciatim temporibus hellenismi, illorum heroum cenantium loco mortales effingebantur, qui heroum loco illis dapibus delectabantur; agitur ergo quodammodo de profanatione operis caelati.

Multi iuvenes illarum provinciarum in alis exercitus Romani militabant sodalesque suos in pugna occisos in provinciis Germaniae quoque talibus lapidibus sepulcralibus honorabant. Paulo post Romani quoque consuetudinem talium anaglyptorum assumpserunt. Praeterea in anaglyptis multa apotropeia (pedes leonini, capita leonum, personae histrionales, etc.) ac symbola ad vitam post mortem pertinebant, e.g. serpens, uva, baca lauri, folia acanthi ac hederiae ac lauri, concha, statuncula Dionysi ac Herculis.

Quoad serpentem: serpens quotannis cutem abicit novamque cutem induit, symbolum ergo habebatur regenerationis, vitae aeternae.

Dimensione lapidum sepulcralium, materia, anaglyptis, titulis amplitudo auctoritasque hominis defuncti adumbrantur: honores, merita, virtutes (fortitudo, audacia), quin etiam opes, eruditio et sapientia (volumen in manu), industria (calathus iuxta cathedram), pulchritudo (speculum in manu); littera «A» indicatur mortuum fuisse unicum infantem; rosa spectat ad iuventutem a quodam daemone ereptam.

Christianismo autem invalescente, i.e. inde ab 2 p.Chr.n. saeculo exeunte, multa mutantur: valores Romanorum paganorum (fortitudo, repraesentatio sui ipsius, merita, praestatio militaris, aestimatio publica, tituli honorifici, maiestas lapidum) non iam valent; modestissimi lapides ponuntur; alii valores coluntur: amor, amicitia, humanismus, pietas, innocentia.

Anaglyptorum pulchrorum symbolorumque paganorum loco nova symbola apparent: christogramma, alpha et omega, termes palmae, columba, piscis. Novae formulae creantur: «hic iacet», «hic pausat», «in Deo ivit», «in Deo transivit», «in caelis habetur», «vixit in saeculo» etc.

Desinit consuetudo donorum supremorum deponendorum. Cognomen tantummodo apparet in lapide, praenomine nomineque gentilicio opus non iam est servitute apud Christianos vix iam exstante et quia distinctio inter homines liberos et servos nullius fere est momenti in societate Christiana (vide: Paulus, ep. ad Gal. 3,28).

*
* *

Apud Vergilium Maronem poetam ultimus poematis versus est hic: «Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras». Ultima poematis vox est *umbras*, ergo nox, tenebrae, Orcus. Apud illum autem poetam Italicum Christianum c.n. est Dante Alighieri, ultima linea poematis c.n. est «Divina Comoedia», est haec: «L'amor che muove il sole e l'altre stelle», i.e. Latine: «Amor qui solem movet aliasque stellas» - ecce ultima vox: *stellas*; hic agitur de luce, de redemptione, de vita aeterna.

«Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo» ut ait poeta. ■

SEMINARIO LATINO PERACTO

QUID SENTIANT PARTICIPES HENRICUS THONAR ET CHRISTIANUS LAES

Mense Augusto in Belgica feliciter habitum est seminarium Latinum, quod Dr. P. Caelestis Eichenseer et scienter et iucunde moderatus est. Duo ex participibus, quibus hoc experimentum fuit novum, explicant, quid de re sentiant. Henricus

Thonar est translator apud Communitatem Europaeam, Christianus Laes alumnus in Universitate Antverpiensi, ubi philologiae classicae studet.

*

* *

Henricus Thonar omnibus amicis suis in Latinitate salutem plurimam dicit.

Date mihi, quaeso, veniam propter asperitatem modi mei Latine scribendi. Tiro enim adhuc sum. Numquam credidissem me quodam die epistolam Latinam scripturum esse, nec ante seminarium censebam Latine loqui possibile esse.

Obstupefactus sum cum Patrem Caelestem audivi, qui non solum emendate expediteque, sed etiam ornatissime Latine loquebatur. Quod sermonem eius sine multis difficultatibus intellegere poteram mihi alia stuporis fuit causa. Sic mihi demonstratum est Latinum colloquium sine ullo dubio esse posse.

Quamvis probabiliter paucissimi in orbe terrarum simus, quod valde dolendum est, existimo tamen linguam Latinam maximi momenti esse,

nam fons vivus perpetuo manebit ad quem homines iterum iterumque reverti poterunt quotienscumque sentiant linguas suas tam depravatas esse, ut ad communicationem veram non iam aptae sint. Identidem evenit. Consulto perpetuo dico. Lingua enim Latina a conatibus istorum qui res scholasticas semper mutare cupiunt ut «meliores», imprimis «faciliores» fiant, in omne tempus tuta erit. Si Latinam grammaticam adultaverimus, desinet ipso facto Latina esse. Per definitionem est Latina grammatica immutabilis. Haec est sententiā meā praecipua ratio cur multi institutionem Latinam suppressere velint: deleantur ea quae non obtemperant.

Valete.

Dabam die 1 mensis Octobris anno 1992.

*

* *

Christianus Laes Gaio Licoppe s.p.d.

Bene recordor multos homines in illo seminario Vavriensi periuicundo dixisse nos debere symbolas ac relationes scribere ut alios certiores faciamus de Latinitate viva. Quod ego facere conatus sum, symbolam scribendo in eo periodico quod dicitur "TTT-krantje"; id est periodicum studiosorum Antverpiensium historiae, philosophiae atque palaeophilologiae. Ita in primo fasciculo apparebit textus Latinus, quem vobis libenter mitto:

Etiamnunc spero, lectores lectricesque honorabiles, non necessarium mihi fore apud vos, studiosos philosophiae historiaeque ac palaeophilologiae, pondus linguarum antiquarum defendere atque demonstrare.

Dico tamen "etiamnunc", quamvis bene sciam multos studiosos harum disciplinarum (nunc non loquor de palaeophilologis) vix Latine nosse (et certe melius erit de eorum scientia linguae Graecae nihil dicere...).

Sed quia mihi non in animo erat novam querellam facere, nihil scribam de hac re tam dolorosa, sperans hos ignaros fortasse aliquando saltem pondus linguae Latinae intellecturos esse. Animadvertistis, lectores lectricesque honorabiles, me scribentem "fortasse" et "saltem" quam modestissime vel lenissime dicere...

Maluerim vobis aliquid narrare de Latinitate viva; scilicet usus huius linguae in sermonibus cottidianis, in epistulis, quin etiam in libris



recentissimis.

Quo audito, certe erunt qui dicant: «Qua de re extraordinaria atque insolita nunc agitur? Ego numquam de talibus propositis audivi!»

Sed erunt quoque alii, mentibus apertis curiosisque, qui aut in bibliopolis fabulas nubeculatas Latinas viderint, aut in radiophono nuntios Latinos audiverint, aut iam aliquando commentarios Latinos legerint. Tunc certe intellegent etiam nunc exstare homines - pro dolor nondum una grege internationali coniunctos - qui Latinitatem vivam in scriptis atque sermonibus colunt atque defendunt. Exstant quoque seminaria Latina, ubi homines e variis regionibus per unam hebdomadam periucunde Latine inter se loquuntur. A die 7 usque ad diem 14 mensis Augusti, tale seminarium cohabitum est Vavriae. Huius seminarii ego particeps fui. Cum valde mihi placeret, ibi quoque enthusiasmus Latinitatis vivae me cepit; quae mihi causa est hanc symbolam scribendi.

Regularum vel praeceptorum orationis quam dicunt «classicae» memor, nunc primum refutationem faciam: ita rationes adversariorum refellere atque convincere conabor.

Mea sententia, tres rationes contra Latinitatem vivam exstare possunt:

1. Latine loqui nimis difficile est; ita certe fieri non potest ut multi homines id studeant ac exercent.
2. deest vocabularium ad verba recentiora recentissimaque exprimenda.
3. nulla utilitas est in Latinitate viva.

Fortasse haec refutatio mentes mutare poterit:

1. Certe Latine loqui difficillimum est, si tantummodo sententias maximas elaboratasque, more Ciceronis at Livii, prodere atque efferre studemus. Sed noli oblivisci apud antiquos maximam differentiam exstitisse inter sermonem litterarum et urbanum sermonem cottidianum (nunc non loquor de dialectis, de quibus non satis scimus). Sane quoque Romani litterati vel litteris dediti in sermonibus cottidianis suis non maximis verborum continuationibus utebantur - si quis mihi non credit, legat epistulas Marci Tulli Ciceronis ad Atticum!

Quin etiam, per multa saecula, lingua Latina erat sermo patrius vulgi Romani, et sermo cottidianus multarum gentium victarum. Et noli credere hos omnes homines ingeniosos fuisse! Ceterum non necessarium est rerum antiquarum memoriam repetere. Usque ad secundum concilium Vaticanum lingua Latina in usu erat in multis monasteriis atque seminariis ecclesiae catholicae!

Si a sententiis brevibus vel simplicibus proficiscimur, ut postea ad sententias maiores transire possimus, certe multi, non solum viri

feminaeque ingeniosi, hac lingua loqui poterunt.

Dixerit quispiam: «Tot casus, non sunt maximae difficultates locutoribus?» Sed est ratio inanis: multae linguae Europaeae modernae (praesertim linguae Slavicae) habent quoque structuram difficillimam, multis cum casibus. Tamen, exempli gratia, 120 milliones hominum lingua Russica loquuntur.

2. Secunda ratio mihi quoque videtur inanis - paene scripsi «insana» - esse. Certe rem non exaggero, ponens omnia verba, eaque moderna recentissimaque, Latine exprimi posse (exsistunt optima lexica quae nobis in hac re auxilio sunt: nunc solum mentionem faciam de lexico cuiusdam professoris Germanici, nomine Helfer). Ad hunc finem conficiendum, debemus perscrutari fontes, ubi multae formationes reperiuntur quae adhiberi possunt ad haec nova verba inventiunda formandaque.

Et noli cogitare me nunc de rebus nugatoriis agere. Sunt homines qui paene cottidie eo gravissimo opere lexicographico incumbant; qui textus antiquos mediaevalesque, modernos recentissimosque (nam textus Ciceronis aut Caesaris non sufficiunt ad hunc finem) perscrutantur atque inquirunt.

Ita sermo Neolatinus est sermo vere Latinus!

3. De tertia ratione nunc nihil dicam; responsum meum satis apparebit in parte proxima huius symbolae.

Nam nunc oportebit argumentationem satis firmam construere ac scribere.

Plerique paedagogi non dubitant quin tractatio viva alicuius linguae utilissima sit ad eam linguam bene colendam. Ita, e.g. studentes linguis Romanicis aut Germanicis quoque discunt his linguis loqui atque scribere.

Cur ergo palaeophilologi non eadem faciant? Certe mihi valde placuit de rebus cottidianis Latine agere. Nunc interdum relationes Latinas scribere conor, conor et epistulas Latinis litteris mandare. Et quis negabit talibus exercitationibus scientiam meam linguae Latinae (non dixi «linguae Latinae classicae») augeri?

Fortasse haec exercitatio quoque discipulis scholarum superiorum vel gymnasiolorum placebit. Ita opinionem - certe vitiosam - deponent, quasi lingua Latina res mortua ac molesta sit, qua solum uti licet ad textus graves laboriososque nimis lente inquirendos.

Fortasse etiam erunt qui mentem mutant ac intellegant neque scripta Ciceronis aut Taciti, neque excidium imperii Romani finem litterarum Latinarum significare. Debent intellegere atque scire per omnia saecula scriptores fuisse qui themata «classica» elaboraverunt atque excoluerunt

(Theodisce «Nachleben»); debent etiam scire auctores fuisse qui novas sententias vel cogitationes Latine scripserunt! Nunc vero multi palaeophilologi studiosique huius disciplinae vix quicquam audiverunt de litteris Latinis mediaevalibus, humanisticis, recentissimisque; sunt etiam alii qui putent hanc litteraturam rem nugatoriam ac vix scitu dignam esse. Talibus mentibus nimis angustis libera nobis, Domine!

Exsistunt quoque Latinistae qui hanc linguam linguam internationalem (sicut e.g. lingua Esperantica) facere volunt. Quamquam ego linguis

universalibus omnino non faveo, tamen - si aliquando nobis opus sit tali lingua - linguam neutri parti (vel genti) faventem linguae Anglicae antepono; quia hac lingua gentes Anglosaxonicae auctoritatis multum apud alios populos habuerint.

Tamen, ne nimis longa oratio sit, perorationem omittam. Velim tantum haec dicere: si quis plus scire cupit de sermone neolatino, de periodicis Latinis (exstat commentarius Belgicus), de seminariis Latinis, me adeat. Libenter vobis informationes necessarias atque optatas dabo! ■



CANTIUNCULA AD FLAVIAM

Nolo dicere te meam:
nil meum est nisi quod fuit.
Lege temporis horrida
nolo te quoque laedi.

Es comes levis aëris,
aëris sine quo nihil:
stragulante Erebi manu
nolo te quoque caedi.

Solis es, quoniam redit
lux ad omnia litora;
noctis imperio sacram
nolo te quoque credi.

Iosephus Tusiani
Neo-Eboracensis



IN MEMORIAM

SCRIPTORIS MARCELLI LOBET

Marcellus Lobet die 19 mensis Octobris vita functus est. Qui vir, sodalis Academiae Belgicae, fuit diurnarius, scriptor, artium liberalium fautor. Libris suis saepe professus est non solum amorem terrae natalis litterarumve cultum, sed etiam fidem suam Christianam. Et linguae Latinae favebat, quippe qui fidelis subnotator esset Melissae nostrae.

Ei, qui nobiscum iter Italicum anno 1989

participaverunt, certe recordantur nos Veronae in universitate lautissime receptos esse a Professore Lauro Colliard et a rectore universitatis et a direttore Academiae Catullianae: qui, cum ab amico suo Marcello Lobet audiverant gregem Latinistarum Veronam lustraturum esse, voluerant nos salutare et in urbe ea nobis ostendere, quae periegetis non facile patent. Requiescat in pace.